VRBANI VIII. PONT. MAXIMI electio.

ET FRANCIS. BARBERINI S. R. E. Cardin. & Princ. ad Lud. XIII. Fra. & Nau. Regem Pontificia Legatio.

Ex III. Tomo Annalium

RODOLPHI BOTEREII, *IN magno Franciæ Consilio Aduocati.*



PARISIIS,
Apud IOANNEM BESSIN, propè Collegium Remense.

M. DC XXV.



VRBANI VIII PONT. MAXIMI ELECTIO.

Et Francisci Barberini S. R. E. Card. & Princ. ad Lud. 13. Franc. & Nauar. Regem Pontificia Legatio

Ex III. Tomo Annalium.



RGONE' semper in funeribus versabor? sempernè hæc Annalium pagina atrata & libitinaria parentabit? heu quot ego Pontifices Maximos, Cæsares, Reges, Principesque summos extuli & luxi, Hos in Petri Cathedra sedentes, istos Aquilas, & Lilia regentes, aliosque tot gentium & rerum Dominos, eos

omnes falx vna auara mortis demeſſuit, & puluerem fecit, illa tot domitorum vna ſuprema domitrix: non à multis annis Clemẽtem VIII. moribus cognominem, diutino ſatis Pontificatu fœlicem, Leonem XI. paucorum dierum, paulo poſt Paulum, & nudiustertius Gregorium XV. qui aliquot mẽſibus biennium exceſſit, quem ætas & titubans valetudo, longa tabe attritum confecit, vt erat mente & conſilio potens, dignus ſanè valentiori corporis ſtatu, quo ipſemet rebus gerendis ſupereſſet, ne ſub vicaria opera & aliena, Romani Pontificatus magnitudo langueſceret. Illo verò terris ſublato, & ad eum cuius vices gerebat recepto, vt in naui gubernatore vacua fieri æſtuante ſalo, ventis furẽtibus euenire ſolet, Romæ quod de more eſt, non mediocriter labo-

ratum, ſudatum & tumultuatum, vt cum maiora Orbis lumina Eclipſi obſcurantur, terriſque ſtupentibus ſuo defectu tenebras ſpargunt, non aliter fit occaſu Solis inferi illius, qui ſuo lumine vniuerſas Eccleſias illuminat: Petri Cathedra & primaria ſedes non parum commota fuit. Gregorius, breuis æui præſcius & diſſidiorum conſcius, quæ in ſua ſublimatione ad Pontificatũ exorta erant, cupiens in poſterum illa profligari & eradicari, conſtitutionem certè ſanctam & religioſam, vt auaritiæ & ambitus aliarũque ſordium euerriculum, atque in ipſam iurare Cardinales, ſacramento adegerat, non longè poſt, pejerare & conditore ſublato, eam tollere piaculare erat, illi verò memores iuriſiurandi, omnes de ſanctione ſanctè & reuerenter ſeruanda conueniunt, ſed in

vertenda vrna & ſortibus ducendis, quod humanum eſt erupit, quod diuinũ & ſyncerè myſticum eſt, peruicit; Coruus hinc, illinc Columba, ille ater, remigio duplici ambitus & affectu carnis, morticinia appetens, humanis affectibus ancillabatur, illa tota niuea & candida, nihil imum & mortale ſatagebat, ac tandem detumeſcente opinionum diluuio, ramum oleæ abſtulit & victrix detulit, ſuperſeditque quò ſacri Flaminis aura nutabundam impulit & defixit: prudens abſtineo referre tribunitias factiones, quæ in electionibus Pontificum plerumque exæſtuat; humani ingenij æſtus eſt, qui vbi illiſus eſt & fractus ad ſcopulos fidei, vt alga projectò ad littus nauci faciendus eſt, nec ſcriptis memorandus, nec profectó rectè factum exiſtimo à cóquiſitore operum Cardinalis Per-

ronij, qui gloriosis illis & immortalibus vernaculam recitationem electionis Leonis XI. interseruit, quia multa non euulganda erant, & quæ vir maximus, in suo larario sibi seruauerat, nusquam typis mandari oportuit. At vetus & vera vox est, Pontificatum non humanis studijs, sed à Deo cœlitus dari, & quamuis Vrbani VIII. electio, aliquot dissidiorum nebulis tãtillum infuscata fuerit, tamen spiritus ille, qui facit discrepantes vnius labij, omnium vota in vnum coëgit, deque illius Pontificatu dici potest, quod olim Petrarcha de Vrbani V. *sic enim Epist. ad eum,* Te, *Deus profectò, Deus, inquã, solus, & nemo Cardinalium elegit, licet enim linguis illorũ vsus sit, vel ad aliud dispositas, ad suum vertit obsequium, quodque ipse volebat, dictu memorabile, per nolentes fecit. Subjungit alia Epist. ad*

Brunum: Sentio (inquit) sanctißimum illum patrem veréque liberalem & Vrbanum, Dei nutu expresso, ad humanæ excellentiæ summum gradum bonis omnibus vtilem & salutiferum ascēdisse. Vrbani verò nomē Pot. Max. sēper fœlix & auspicatum fuisse experimentis liquet, nam vt eum qui Valerianum Cæciliæ sponsum, & Tyburtium fratrem tinxit, aliósque cognomines fastis Diualibus additos prætercam, Vrbanus IIII. Gallus Tricassinus, animi magnitudine, scientia cōsilio morumque grauitate, dignitatem Pontificiam adeptus est (verba sunt Papirij Massonij, in vita Vrbani) Idem Petrarcha, testatur Vrbanum V. iuris vtriusque interpretem fuisse peritissimum, qui multis beneficiis Bononiensem & Parisiensem Academias prosequutus est: Idem Massonius in Vrbano V. præclaras virtutes

tutes exuliſſe, eruditionem ſingularem, amorem iuſtitiæ & caſtitatis, odium Symoniæ ac munerum, & ingentem beneuolentiam erga bonos doctoſque viros: nunquam profectò fœlicius neque glorioſius gubernata fuit nauis, quàm cum eruditos habuit Pontifices; ac ipſe Petrus Chriſti Vicarius, alteram ab eo ſcientiam habuit, non illam, quam nos in Scholis operoſè & anxiè diſcimus, ſed cœlitus immiſſam, & Apoſtolicis pectoribus deſuper à patre luminum infuſam, & ſacri flaminis aura inſufflatam, nam mundi Seruator, non Philoſophos & Oratores ad proſeminandam ſuam æternique Patris doctrinam elegit, ſed per piſcatores quos aſſumpſit, Philoſophos & Oratores ſubegit, vt argutè & verè ſcripſit Maximorum Pontificum eloquentiſſimus Gregorius IX. qui

ſua morali facundia, omnium hæreticorum, quos omnis ætas pro diſertiſſimis venditat, luminibus offecit, ſeu illi priſci fuerint ſiue noui, qui à facundia nomen aucupati ſunt, nam vt de noſtratibus verum fatear, Caluinus ipſe, Caſtalio, Beza, latinè ſcientes erant, Tulliani magis quam Theologi, qui præ Gregorio nono ante Monacho, ſtrepunt & balbutiunt: Proauorum ætas abundè litterata, in Italia potiſſimum, viris ſingulari doctrina cóſpicuis abũdauit, vnde tot eruditi Pontifices Eugenius I V. Nicolaus V. quem ſua virtus & litterarum abſolutiſſima cognitio, ad ſummum ſacerdotium euexit, vt à Gobelino Nicolai Hiſtorico eſt annotatum, & à Cardinale Luſitano vno ex electorib⁹, qui rogatus de recés electo: reſpódit, *nos Nicolaum elegimus, at Deus Põtificem fe-*

cit, ſed nõ vnius aut paucorũ vox eſt, nam apud gentes omnes, eruditiſſimi nomen & gloriam promeruit & obtinuit, cum enim Academiam Lutetianam, à priſco ſplendore nonnihil defeciſſe intelligeret, eam per Cardinalem Toſteuillam Legatum Apoſtolicum, inſtaurari procurauit: Poggius, ſuo æuo, & Romana & Etruſca lingua ſcriptor politiſſimus, & Aulæ Pontificiæ per annos quadraginta aſſecla, de Nicolao hoc teſtimonium tulit: *quid grauius, quid ſanctius, quid ſapientius, vt alia omittam, illa tua oratione, poſt Eugenij exequias, ad Cardinales habita, in qua præſagium fuit, talem te futurum, qualem tunc Pontificem exoptaſti, tu preterea ſacras & gentilitias litteras didiciſti, nullum doctrinæ genus te fugit*, ſed quid egô de Ænea Syluio Pio II. qui antequam myſticus & infulatus eſſet, non erubuit Poëtam lau-

reatum se profiteri? Sic enim Epist. ad patrem. *Æneas Syluius Poëta, genitori Syluio salutem*, qui cum poëtices & literaturæ politioris laudibus, supra omnes coætaneos se extulisset, æmulos omnes vicit, & per scalam eruditionis ad Pontificatum ascendit; cum enim Cardinalis Bessarion Græciæ rarum decus, & Atticæ facundiæ flumen, quo arentem Italiam irrigarat, de Pontificatu certamen faceret, Æneas Tros & Latinus, Græcum vicit, qui adepto hoc fastigio, musas non despexit, earumque cultores impendiò fouit & amauit, nec Lutetianam Academiam neglexit, extat enim Epistola ad eam plena affectus paterni, scribitque Electionem Pontificis Rom. non ab hominibus, sed à Deo dari.

At quamtumuis, confessus sacer sit & Apostolicus, vt est Cardinalium

coeuntium ad nouelli Pontificis delectum, nihilominus nonnihil discrepantiæ suboritur, vt in bona segete, lappæ tribuli & lolium succrescunt, quandoquidem & inter ipsos Apostolos, aliquantulum dissidij subortum memoratur, sic in Conclaui varia studia, & animorum æstus incalescunt, sed sacri Pneumatis aura has nebulas difflauit & mirabili pacis & concordiæ afflatu, omnium animos & vota in vnum Barberinum adunauit, non ambitus illum, non emptæ voces, non Gyezetica negotiatio elegerunt, sed sortitio illa, quæ Mathiam in locum proditoris, qui detestabili cupiditate Apostolum fædauerat suffecit, Maphæum in Gregorij solium euexit, nam reclusa vrna, votis scedulisque computatis, omnibus numeris superior Barberinus, VI. Sextilis, Ponti-

fex Max. renunciatus eſt & ſalutatus, peractiſque ex momento aliquot ritibus, deſiit eſſe Maphæus, & Vrbanus VIII. factus & nuncupatus eſt, neque id nominis ſine omine ſibi impoſuit, mox in Borgeſii Cardinalis cellam, in ipſo Conclaui, tantiſper quietum & epulatum iuit, & nihil prius aut antiquius habuit, quam vt Aldobrandinos, Burgeſianos, & Ludouiſæos, trium Pontificum anteceſſorum propagines, ex recenti illo æſtu commotos ſedatos faceret, & ad mutuam concordiam reduceret, quod in ipſo veſtigio præſtitit, & capita ipſa, Burgueſium, & Ludouiſæum, in amplexus compulit, Aldobrandino cum Burgueſio amicitiam ſynceram & infucatam imperauit, & ita Vrbanus, à concordia inter fratres redintegranda, Pontificatum auſpicatus eſt, nec à fauſtioribus auſpiciis

initium facere potuit, ac primo illo opere, profligatis ſimultatibus acerbitatibuſqueſepultis, & vrbanitas & ſanctitas nouelli Pontificis emicuit, longè ille alter ab aliis, qui ſemina odiorum & diſſidiorum inter Cardinales aluerunt, & in Eccleſia ſciſſuram fecerunt, qui rerum potiti, in eos qui in electione à ſuis partibus non ſteterant, odij iaculum & Vaticani fulmen euibrarunt; operæ pretium fanè fuiſſet, totius conclauis ſeriem diffusè referre ex vernacula ſcriptione, quam penes me habeo, ſed ſciens credidi nunquam eſſe euulganda, quæ anſam malè dicendi & explicandi prębent, ab hac ſcabie vngues continui, & ſcopulum vitaui, in quem alius de quo ſupra impegit, in Vrbano diutius morari, ex aceruo materia ſuccreſcens in Annalibus, & ſe protrudens non ſinit, habebit ille ſuos

Historicos, Platinas, Gobelinos, Philadelphos, & Massonios, & me fortè adijciam, si opellam nostram non dedignatur, illi plenis velis in suas laudes ibunt, ego passibus iniquis sequar, vt qui post messores spicas legunt, hanc pagellam erudero, & falcula primas aristas seco, ad hoc non alio vento impulsus, quam veri & solidæ virtutis, quam in eo Apostolico nuncio omnes experti & mirati sunt & ego potissimum ex gustu Musarum, & illecebris latinæ poësis, nam hoc ludo Maphæus seria suæ legationis recreabat, & vt Regem Christianissi & diuos indigetes demereretur, D. Ludouicum progenitorem suum, & D. Magdalenam eremi Phocensis incolatu, Gallicam factam, hymnis sacris sed omnino Flaccianis laudauit, numeris prorsus cultis, quos & Pindarus & Horatius suos esse velint, & pro

ipsis

ipſis vendicarent, niſi pietas Chriſtiana renueret & diffiteretur. Quotquot ſunt, qui nunc operantur Odis, Pindari & Flacci ſimiæ ſunt, quos omnes à conando, ſi ſani ſunt, vnus Barberinus deterruit, & ſi poſt illum, chelim pulſare audent, prorſus barbari erunt: Egò autem qui in latina poëſi non ſum omninò peregrinus (nam nuper me in littore vidi &c.) Vbi hymnos magni Lyriſtæ legi, in numeris deſipere deſtiti, & à verſibus latinis abſtinui, cautior illis, qui infacœtias ſuas Vrbano, & crocitationes ſuas Olori, & quod dicebant veteres pro auro lupinos, offerunt, quique ne diſſimilem guſtum meum, verſibus malis Vrbanum onerarunt, & inurbanè ſalutarunt: Fas ſit mihi Oloris albedinem, coruorum fuſcedini opponere, hoc eſt Epodùm aliquot verſus, & ex

Ode Regia D. Ludouici.

Obiectu gemini maris,
Illinc Pyrenæi, arduis hinc Alpium
Præcincta muris, ingenio soli, &c.

Quid istis numeris, putum latinum & Horatianum magis, in Ludouico Regius, in Magdalena diuinus, diuinior in prodigo seu pœnitente, in ipsa Ode, *quæ incipit sepulta criminis caligine &c.* Deus bonè! qui pœnitentium corda nouit, quàm ille, prodigi resipiscentis reuersionem ad patrē suum, graphicè & euāgelicè pingit, vt lachrymosam illam tabulam effigiat, vt induit lugentis personam, quæ voces, quæ verba, quæ iacula inclusa numeris, vt feriunt, vt Deo vel inuito vim faciunt, sed cum oratio mea ad illius vbertatem arida sit: audite posteri & legite, vel saltem liminares versus, vt ex gustu de tota amphora iudicetis.

Sepultus alta criminis caligine
Sæuiſque vinctus nexibus.

Qui rediuiuum Horatium non dixerit? niſi Arcadicus & Bœticus, ac venuſinæ chelis prorſus neſcius, & vt olim Maphæus ſuppleuit in Marone, que Æneidi deerant, ſic potuit ſolus Maphæus Barberinus, dignanter & æqualibus metris, quod in Flacco deſideratur. O quanti, pietatis & lyricæ poëſis amantes exoptarunt, vt ille Diuales hymnos paribus numeris, vt in Eccleſia canerentur conciniſſet, vt Prudentius, & Ambroſius præſtiterunt, vt & Muretus noſter delibauit. Sed Vrbanus, in alium virum mutatus, in naui Petri maximus proreta, iam eſſe non poteſt, quod in Argo erat Orpheus, aliud imperantis, aliud obſequentis munus eſt, hæc interſero in Annalibus, quod ſoleo de præclaris, vel ex

vulgo hominibus, qui ſolo remigio virtutis ſe euexerunt, Vrbano non palpo, non adulor, nihil ab eo niſi noxarum venias, & Apoſtolicam benedictionem poſco, nam ego vxoratus, ab eo ſacerdotia non liberis ambio, pater enim ſum duarum, quæ nuptæ improles ſunt, ſed meum hoc eſt gratuitum teſtimonium, quod poſteris conſtare volui. Sed heu? dum Roma, Vrbano ouat & acclamat, dum illi ſoſpitatem, & in Pontificatu longæuitatem precor, & pæana adorno, eccè de illo morbus metum incutit, calamum excutit, & territus iſto rumore manum ſuſpendo, anceps animi & valdè pertimeſcens, ne ſua inauguratio Leonis XI. exitum haberet, ac ouationes & plauſus in luctum & leſſum verteret, ſed dum trepido, eccè boni pedis nuncius aduenit, & Vrba-

num morbo leuatum & ſoſpitati redditum, publicat, reſumo calamum Soteria adijcio, & pagellam hanc impleo, quæ in volumen abiret, ſi quis à foro & litibus, mihi Otia faceret.

FRANCIS. BARBERINI, *San. Rom. Eccl. Cardin. & Principis, Pontificia Legatio.*



Omani Pontifices, eo ſemper fuere affectu & propenſione in Chriſtiani orbis principes, vt quoties inuicem (quod nimium vetus eſt & crebrum) digladiantur & deſæuiunt, præſto adſint, & ſequeſtros ſe præbeant, placant animos, emolliunt iras, & redintegrata fœderatione pugnantibus arma excutiunt: adhibita hac incruenta medela, faciunt, quod ſolent patres familias, qui filios iurgantes, aueruncantis diſſidiorum ſeminibus, ad fraternam concordiam reuocant; à meo

ortu, quantum mihi valdè puero audire & ſcire datum eſt, rerum ſucceſſu, vſu & experientia, non niſi bonos & æquanimes Pontifices expertus ſum, nempe Pium 5. Gregorios 13. & 14. Sixtum, Clementem, Paulum 5. & nouiſſimũ Gregorium, cui Vrbanus 8. ſucceſſit, & nunc in naui Petri remum tenet, alios interiectos Pontifices breuis æui, & quos fata diu eſſe noluerunt, non memoro, cum vitæ & imperij breuitas, facinorum immortalitatem eis inuiderit, nunc verò Cardinalis Barberini hodierna Legatio mihi antea Cardinalis Ethruſci, qui poſtea paucorum dierũ Pontifex fuit, memoriam & ſuæ Legationis fœlicitatem renouat, eiuſque recordatione vt plurimum & medullitus recreor: Gallia tunc bello triplici ardebat, inteſtino Ligatorum tunc ſeneſcen-

te, ſed nondum ſopito, Hiſpanico & Belgico. Clemens 8. tam Chriſtiani & potentis regni vicem miſerans, non immemor tot inſignium benefactorum, quæ Apoſtolica ſedes à Regibus Galliæ accepit, de ſtemmate Medicæorum Cardinalem, Oratorem caduceatorem & boni pedis nuncium, ad Henricum 4. tranſmiſit, ea dignatione & pompa, quæ ortum & purpuram tanti viri decebat, excepit & complexus eſt, vt ampliſſimè 2. tomo Annalium poſteris ſciendum expreſſi. Sed non poſſum non recordari arguti acroamatis, Achillis Harlæi Senatus Principis, qui affatu ſuo ad Legatum, vno verbo mirificè recreauit, non ſine aculeo ad memoriam Sixti, *Occurrimus tibi amicè & beneuolè, quia à Clemente miſſus es*, Sic argutè Harlæus & admittentis clementiam, & Sixti prio-

priorem acerbitatem allusit. At Florentiæ Cardinalis, nihil prius & antiquius habuit, quam firmare pacem, inter duos potentiss. Reges Gallum & Hispanum, qui non immeritò Orbis Christiani fulcra, & huius cœli inferioris Atlantes dici possunt, Soles gemini, cum alij, vt signa Zodiaci numerari possunt, Orator venit in Galliam, in Italiam exorator rediit, stabilita pace Veruinea, cuius fœlicitate nunc adhuc fruimur, vt in Annalibus hanc auream telam, haud tenui stilo texui. Cum vero Vrbanus 8. ab inito Pontificatu, initia dissidiorum inter eos Reges sub cinere doloso latentia, in fauillas & in incendium erumpentia prospexisset, restinguendis non oleum, vt auersi Pontifices, sed aquam infundendam putauit. Ille qui per decennium circiter, apud Henricum 4.

Oratorem egit, memor dignationis, humanitatis & affectus, quo eum tot annis prosequtus est, in Ludouicum filium religiosè & cordatè animatus, ac etiam cura & studio religionis tuendæ, cuius caput est, & summus moderator, nepotem Cardinalem misit necessariò & opportunè ad sedandos motus & turbines, qui contrariis principum molitionibus, toti Europæ exitium supremum minitantur: Rex Catholicus potens, sed qui impotẽter nimiũ alienis finibus imminet, nec auitis & partis se continens, Lunę crescentis plenitudinem affectans, totum orbem implere nititur: quò non iuit? quò non penetrauit? quid non molitur & non agit, pulcherrimæ terrarum Italię quod reliquum est inuidet, suam esse vult, partitam negat, & metus est, ne Petrum vecti-

galem faciat, ni Pauli diſtrictus gladius vetet, jampridē ille caput, & pedes, Mediolanum & Parthenopem occupat, vmbilicum & latera appetit; brachia concidere affectat, an corpus vel cadauer futura ſit Italia, dubium, & tibi *Vrbanè* non ſatis ſecurum: Ferdinandus Cęſar gentilitius, ope & opibus ſuis nixus tota Germania alas extendit, & fuſè latéque imperat, dominatu non ſatis ſtabilito, quandoquidem magna ęmulorum coitio in eum arma parat, Bethlinus Gabor tranſyluanię Dynaſta, Danię & Suecię Reges, & Ferdericus, Palatinatu exutus & extorris, qui Regis Bohemię titulum nec vſque ponit, noua ſpe erectus Anglo-gallici coniugij ad recuperandum fortiter ſe accingit fœderatorum principum auxiliaribus armis. Aduerſus hanc illuuiem, vix

Hiſpanus ſe tueri poteſt, viribus diuiſis, toto pene orbe, cuius habenas affectat; profectò ambitus ille, & exterorum regnorum inhiatio, & clauibus & Liliis, & Italis potiſſimum terrori eſſe debet, aliunde non minus hęreſis formidanda; nam vt Iberica dominandi cupido, regnis eſt exitio, ſic iſta animabus & religioni, nec minimum *Vrbanus* afficitur, penes quem ſummum eſt arbitrium & moderatio ſacrorum, ad hoc vices Chriſti agit, ad hoc datus eſt terris, ſuę ſunt partes, nam ſacerdotium oculus, imperium manus & brachium eſt, vtrumque ſine altero mancum & mutilum, etiam apud Ethnicos religionis & politię munia diſcreta erant, quę diuinus ſcriptor ritè & aptè, vel ad noſtros mores diſcriminauit, nam ſic ille ad Antiſtitem.

Cura tibi Diuûm effigies, & templa tueri,
Bella viri pacemque gerant, queis bella gerenda.

Et alibi ad Imperatorem.

Tu regere, imperio populos Romanè *memento.*

His exemplis excitatus *Vrbanus* (qui Virgilium & Flaccum pari ſtilo & modulatione exequat, & periclitantis religionis zelo affectus & exæſtuãs, Legatum miſit vt aduerſus nouatores & tot ſe adglomerantium aduerſariorum inſultus, religioni ſecurè cautum ſit, hoc ſatagit, in hanc curam incumbit, quæ aliam mixtam & indiuulſam habet, vt Hiſpanus in vicinorum fines ſe effundens ſuis coerceatur, & modum ſeruet, alioquin facturus, quod Phyſici de ſerpente Baſilico memorant, qui ſolus afflatu & obtutu, ne dicam attactu, omnia

fugat & dissipat,

Et in vacua regnat Basilicus arena.

Priuatorum direptiones, furta vocantur, principum verò latrocinia, quod scapha & lintre latrunculus audet, classe numerosa Reges agunt, & sola potentia facinus distingunt, ideóque dum religioni cauetur, verendum ne illo obtentu auitis suis regnis principes exuantur. Vtrique malo sub Henrico 4. Florentinus Cardinalis prospexit, id ipsum à *Barberino* Legato expectamus, quandoquidem missus ab eo Pontifice, qui Galliam & Gallos corditus amat, qui moribus nostris assueuit, qui insigniter litteratus bonas artes complectitur, in Latina poëtice facilè princeps, qui sanos à scribendo deterruit, Flaminios, & Buchananos, in Lyricis superauit, cuius perlectis hymnis, mihi in hac arte non omnino rudi silentium in-

dixi, & poſt illum omnia fugere carmina putaui, poſt fregotia forenſia conuerſo ſtudio ad Annales, ne cum cæteris in latina poëſi nugari & ineptire videar *Vrbanus* enim ad poëtas omnes poſſet merito hoc vetus præconium vſurpare *procul ô procul eſte profani*. Cum verò apud eum mei memoriam renouare non poſſim, quoniam diuturnitate temporis & nominis mei & vultus oblitus eſt, quamuis frequens me ſuo alloquio & commercio verſuum dignatus ſit, altero anno electionem illius miſi, quam lectam & perlectam ab eo mihi litteris conſtitit, putaui iſta ſcriptiuncula ſopitam recordationem denuo renouandam, nec aliud iucundius lecturum, quam pagellam hanc quæ Legato nepoti ſummos honores delatos recenſet, in quibus narrandis tam verus quam breuis & oculatus ſum:

At vt certò accepit Rex Christianiss. Legatum, Regni fines ingressum, de aduentu gratulatum misit, præfectis vrbium & oppidorum quà iter fecit, vt dignanter & regaliter exciperent iniunxit, cui sedulò paritum est, mox Lugdunum appropinquanti, Sanchaumontium torquatæ vtriusque militiæ in occursum misit, vrbe potentissima ad Rhodanum & Ararim, pompa regia exceptus est, dehinc Aureliam secundo flumine delatus est, ibi conquieuit, dum diploma Legationis (*facultates vocant*) à Senatu probaretur, re procrastinata & peracta, carrucæ quantum satis erat, ad vecturam comitatus sui, missæ sunt, ille sedatis itineribus, ambulanti similis, Aurelia Lutetiam venit, pro more prisco Legatorum in amœnissimo vireto Canti-lupi commoratus, donec ad ingressum magnificum omnia

ador-

adornantur. Venturo obuiabat & ouabat populus, & ante Pentecostem ingressurus putabatur, sed & festi tam augusti celebritas, & portentosa nimbi illuuies (quæ calamitatem castris, municipiis & agris nullo precio æstimandam, plusquam ducentis hominum naufragiis, locis penitus aridis inuexit) ingressum in feriam 4. distulit, cęlo non satis constante, ille circa meridiem regia caruca vectus in sancti Maglorij Monasticam & suburbanam basilicam, pransum venit, Augustus Regis frater cum delectu Aulicorum, Archiepiscopi & Episcopi triginta sex numero, salutatum venere, omnis itidem clerus, parrochi, plæbani, Flamines Canonici, monachi cuiuscunque ordinis stricti & laxioris suo ordine præeuntibus crucis vexillis, prodeuntes adgeniculati in conspectum se dedere, anterio-

re porta admiſsi, poſtica dimitebantur, ne ſuccedentibus impedimento eſſent, poſt epulum Patres Conſcripti Senatus, Curia vectigalium, præfectura prætoria ſeu præſidialis, præfectus mercatorum & ædiles vrbis, & certatim omnes ordines Legato viciſſim gratulantur, tantus concurſus, vt non niſi ſerus vrbem ingreſſus ſit, interea tota Lutetia populoſiſsima vrbium totius Europæ, ad conſpectum & pompam ſe effundit, qua iturus erat, omnia ſurſum deorſum ſolo & cœlo complentur, in tabernis & officinis erecta tabulata, & cum feneſtræ vim ſpectantium non caperent, ad tigna & columnas, audentiores ſemipenduli ægrè & periculoſè ſe affixerant, alij ad domorum faſtigia euaſerant, porticus, tabernæ, cænacula, magni conducebantur, equis, carrucis, omnia tam denſè prepedita com-

pita, vt non niſi alta nocte domum
reditum ſit. Legatus ſub ſerico ten-
torio, mula procera vectus; circa ſex-
tam à meridie, jam prono ſole porta
Iacobea ingreſſus eſt, duodecim for-
moſi puelli ſelecti ſumptu regio ve-
ſtiti antecedebant, & octo tubicines,
ille poſt & à latere Regis frater, cum
numeroſiſſimo equitatu. Academię
rector ex tabulato concione latina
Legatum excepit, cui breuiter & ap-
poſitè reſpondit, mox ſe effunden-
tibus turmis & acclamantibus, lentè
ad metropolim progreſſus eſt, à pe-
diſſequis & ſcurris ſatis moleſtè ap-
petitus, ſpe diripiendæ mulæ, quæ ad
veſtibulum Eccleſię occupantibus in
prædam cedit, nihilominꝰ ſolita pro-
teruitas à ſatellitio coercita, & quan-
tum potuit inhibita, interiectis can-
cellis abigenis, ac tandem precatione
facta, iam alta nocte quietum & cœ-

natum in palatium Archiepiſcopale iuit; Rex, & Auguſtæ, nullum humanitatis & dignationis genus prętermiſerunt, quo publicè teſtarentur, quam gratiſſimus aduentus Legati illis & toti regno fuerit, nam ea oris & corporis fuit pręſtantia, & in ſignandis ſpectantibus decentia, vt omnium oculos in ſe cõuerterit, & animos conciliarit, præclara certè initia & auſpicia, quę Deus vtinam ſecundet, & firmata pace mihi ſcribenti hiſtoriam materiam luculentam prębeat; tam iucundus eius aſpectus, vt vultus ab inciſoribus, tabulis æneis expreſſus ſit, & publicè diuenditus, hac epigraphe ſubiecta *S. R. E. princeps Franc. Barberinus Cardinal.* poſtquam triduo conquieuit, ad priuatum colloquium Regis, ſine comitatu & anteambulonibus admiſſus eſt, neque enim alter alterius diutius deſideriũ.

ferabat, 27. Maij publico & magnifico itu Luparam adijt, vt Legationis ſummam exponeret, quod grauiter & perſpicuè explicauit, & ex nutibus agnitum, quàm amicè & beneuolè Rex dicentem audiuiſſet, mox peracta concione ad Regale epulum, quod Auguſta Medicæa parauerat euocatus eſt, & igne ſerotino & geniali pyrotecnico artificio fulguranti recreatus eſt. Iſta carptim & in ipſo feruore ingreſſus triumphalis, texui, quę Annalium non ingloria lacinia eſt, properè tibi mittendam auſus ſum *Vrbanè Pontif. Max.* ea fiducia, qua altero anno tuam electionem miſi, electionis & Legationis delibatio eſt, quæ diffusè 3. tomo continetur, ſi modo ad emittendum regia liberalitate ſumptus & otium detur, quindecim annorum opus eſt, cuius Pontif. Max. & Reges paginas

gloriosè implent & præconem me habent, quos tamen nunquam Mœcenates expertus sum.

Ad vrbanum 8. Pont. Max.

AVsoniã tẽtare Chelim, modulosque lyristæ
Flacci, fas nulli sano puto: Rusticus ille,
Omninò, Vrbani *post dia poëmata & hymnos,*
Qui Venusinæ Vnus, plectrũ chelis æquat eburnò
Pectine: at obscænos Flaccus modulatus amores,
Abreptus iuuenili æuo, atque calentibus annis,
Romæ, sorte humili Libertino patre natus,
Vrbanus *domin⁹ dominæ Vrbis,* R*omulus alter,*
Qui Christi Petrique vices tenet, arbiter Orbis
Christicolæ, fideique arcem, non dispare versu
Nec minus ille cheli arguta, quã Pindarus olim,
Numinis & Diuum æternos modulatur honores,
Magdali *siue tuos,* Laurenti *inuictè per ignes,*
Aut Lodoice *tuos, regni indiges inclyte, gentis*
Stirps sacra Borbonidũ, heroas Vrbanus *Olympi*
Quam cultis numeris, latioque lepore, camæna
Quam suaui cecinit, nisi cedro digna loquutus:
Inter aues quod Olor, Luscinia, Achãtis, Ædon,
Sic inter lyricos vates Vrbanus, *Apollo*
Ausoniæ tangenda chelis cui plectra reliquit,
Et pulsare fides dedit, Orphea vincere cantu.

Postera Flaminos, Buchananos, desinat ætas
Mirari, quamuis Dauidica metra sonantes,
Versibus herois dignanter Apolline dextro,
Sed non ad Flacci lyricum accessere canorem;
Vatibus Vrbanus *laurum eripit omnibus vnus;*
Iurgantum ille vices Regum miseratus, acerbos
Motusque, affectu & succensus amore paterno,
Inter Pelidem componere & inter Atridem
Misit, qui amorum strepitũ, Martisque fragorẽ,
R*omano fulgentem ostro, & pulchro ore nepotẽ*
Ante annos rerum quem ornat prudẽtia velox:
Gallia tota, illum magnas complexa per vrbes,
R*egali excepit cultu & prædiuite sumptu,*
Et grata augustos venienti effudit honores,
Tota ruens miræ ad spectacula publica pompæ,
Lataque, fit plenis angusta Lutetia vicis,
Illa Vrbanè *tibi est multos habitata per annos,*
(Sũ memor, & vultu nõ me aspernat⁹ amico es.)
Nosti, quam densis sit fœta Lutetia turmis:
At sua non desunt spectacula noctibus atris,
Compita collucent genialibus omnia flammis,
Sequana, & accẽsis noctu Lupara ignibus ardet,
Sulphure & igniuomo nitro iacula æthere toto,
Ignescunt, forti per inane emissa lacerto,
Ipse nouum credas terris Salmonea natum,
Qui fulmẽ creperũ, & qui rauca tonitrua fingat;

Auſpice Legato pacem expectamus, ab armis
Otia, & inducias ſtabiles à Marte furenti,
Dÿ faciant, regnis & ceſſet Iberia hiare
Finitimis, & tot ſatiata quieſcat auitis,
Liberet Italiam, terrore metuque pauentem
Auſtriadũ iã aquilas nimiũ per cuncta vagãtes,
Queis præcidendæ prædantibus omnia pennæ,
Ni faciat, totam ſocialia ad arma mouebit
Europam: & late communis habebitur hoſtis.
Ille coercendus, qui aliena cupidine cæca
Appetit, & ſolus qui totius orbis habenas,
Quà ſol exoritur, quâque occidit, & riget arctos
Indus & inſanis qua Solibus vſtus anhelat,
Gallia, & Italiæ, his aquilis fragmẽta ſuperſũt:
Obſta Vrbanè, *tuus paries iam proximus ardet.*
Lilia ſint nunquam diuulſa à clauibus, arcto
Vincta ſimul nexu, & ſit iũcta Lutetia Romæ,
Celticus, & Tyberi æternùm ſit Sequana Thuſco.
Plura per Annales latios memoranda relinquo.

FINIS.